

CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM  
DE SACRA LITURGIA

---

# NOTITIAE

6

IUNIO 1965

---

CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

# NOTITIAE

Commentarii ad nuntia  
de re liturgica edenda cura  
*Consilii*  
*ad exsequendam Constitutionem*  
*de sacra Liturgia*

«Notitiae» prodibunt die 15 cuiusque mensis. Libenter, iudicio Directionis, nuntium dabitur Actorum, inceptuum, editionum in re liturgica, praesertim e Coetibus Episcoporum vel Commissionibus liturgicis nationalibus emanantium, si scriptorum vel periodicorum exemplar missum fuerit.

*Directio:* Commentarii sedem habent in Civitate Vaticana, Palazzo S. Marta, ad quam transmittenda sunt epistolae, chartulae, manuscripta, his verbis inscripta:  
**NOTITIAE, Città del Vaticano**

*Administratio* autem residet apud  
*Libreria Editrice Vaticana*  
*Città del Vaticano*

Pro commentariis  
sunt in annum solvendae:  
in Italia lit. 2.000  
extra Italiam lit. 3.000 (\$ 5)

Singuli fasciculi veneunt:  
in Italia lit. 200 (\$ 0,35)  
extra Italiam lit. 300 (\$ 0,50)  
In Italia pecunia mittenda est per  
c/c/p N. 1-16722

**TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS**

6

## SUMMARIUM

|                                                                                                                                                                                     |               |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|---------------|
| <i>Acta Consilii</i> . . . . .                                                                                                                                                      | 145           |
| Declaratio . . . . .                                                                                                                                                                | 145           |
| Summarium Decretorum<br>quibus deliberationes Coe-<br>tuum Episcoporum confir-<br>mantur . . . . .                                                                                  | 146           |
| Promotio . . . . .                                                                                                                                                                  | 149           |
| Labores Coetuum a studiis                                                                                                                                                           | 150           |
| Principia seu criteria gene-<br>ralia ad calendarium litur-<br>gicum instaurandum (A.<br><i>Dirks, O. P.</i> ) . . . . .                                                            | 150           |
| De psalmis distribuendis (I.<br><i>Pascher</i> ) . . . . .                                                                                                                          | 152           |
| <i>Sacra Congregatio Rituum</i> .                                                                                                                                                   | 157           |
| Patrocinium s. Benedicti,<br>abbatis . . . . .                                                                                                                                      | 157           |
| Decreta particularia . . .                                                                                                                                                          | 159           |
| <i>Actuositas Coetuum Episco-<br/>porum</i> . . . . .                                                                                                                               | 161           |
| Libri liturgici officiales:<br>Anglia-Cambria, Canadia,<br>Civitates Foederatae Ame-<br>ricae Septentrionalis, Re-<br>giones gallicae linguae,<br>Hispania, Italia, Melita.         |               |
| De primis gressibus instau-<br>rationis liturgicae: . . .                                                                                                                           | 167           |
| Belgium, Hispania, Lusita-<br>nia, Birmania, India, Hie-<br>rosolymitanus patriarcha-<br>tus latinus, Libanum, Tur-<br>carum Respublica, Maro-<br>chium, Volta Superior,<br>Zambia. |               |
| <i>Documentorum explanatio</i> .                                                                                                                                                    | 185           |
| <i>Studia:</i> Ite, missa est                                                                                                                                                       | 191           |
| <i>Nuntia</i> . . . . .                                                                                                                                                             | 192           |
| <i>Stellulae</i> . . . . .                                                                                                                                                          | 160, 190, 192 |

## DECLARATIO

Passim quandoque fama diffunditur quorundam inceptuum, qui sive vigentes rubricas, sive Constitutionem vel Instructionem de sacra Liturgia praetergrediuntur. Horum autem inceptuum auctores, ut plurimum, asserunt se facultatem seu indultum a « Consilio » obtinuisse ad experimenta facienda.

« Consilium » declarat, praeter indulta pro Concelebratione et Communionem sub utraque specie a die 3 iulii 1964 ad diem 15 aprilis huius anni concessa, nullum umquam generale indultum ad experimenta ducenda datum esse.

Superfluum enim est in mentem revocare huiusmodi facultatem unice Auctoritati ecclesiasticae territoriali ab Apostolica Sede esse tribuendam, iuxta art. 40, 2 Constitutionis; ipsaque experimenta concedi tantum: *a*) in quibusdam coetibus, *b*) ad id aptis, et *c*) per determinatum tempus.

Si ergo « Consilium » experimenta permittet, facultas ea peragendi Auctoritati ecclesiasticae territoriali semper communicabit, et quidem in scriptis, additis condicionibus et limitibus, intra quae experimenta agere liceat.

Proinde cum ritus vel caeremoniae vel inceptus cuiusvis generis ab hodiernis legibus absona in re liturgica videntur, haec omnia habenda sunt inceptus « personales », « proprio Marte » (cf. *Constitutio*, art. 22, § 3) inducti, et eo ipso a Constitutione et a « Consilio » reprobati.

SUMMARIUM DECRETORUM  
QUIBUS DELIBERATIONES COETUUM  
EPISCOPORUM CONFIRMANTUR  
(a die 14 ad diem 31 maii)

---

EUROPA

---

Gallia

V. Decreta particularia:

12. *Ordinis Praedicatorum* (28 maii 1965, Prot. n. 1876/65): confirmantur orationes et cantus Proprii Missae, qui continentur in *Supplément Dominicain au Missel latin-français. Fascicule III*, necnon cantus Proprii Missae, qui in fasciculo *Supplément Dominicain au Lectionnaire français* continentur.

Hispania

V. Decreta particularia:

6. *Sancti Sebastiani* (28 maii 1965, Prot. n. 2446/65): confirmatur textus lectionum pro Missa a dominica Pentecostes ad dominicam XII post Pentecosten, lingua vasconica.

Hollandia

- I. Documenta: 28 maii 1965 (Prot. n. 2286/65).

IV. Interpretationes populares adhibendae:

2. RITUALIA:

*Het Sacrament van het Doopsel toegediend aan Kinderen* (Baptismus parvulorum); *Et Sacrament van het Vormsel* (Ritus Sacramenti Confirmationis per Episcopum administrandus); *In de biechtstoel...* (Ritus Sacramenti Paenitentiae); *De Sacramenten der zieken* (continet Communionem infirmorum, ritum Sacramenti unctionis infir-

morum, ritum administrationis Confirmationis in periculo mortis, ritum continuum pro infirmis: Unctionis infirmorum [Confirmationis], Benedictionis apostolicae in articulo mortis et Viatici, preces pro moribundis); *Het Sacrament van het Huwelijk* (continet celebrationem Matrimonii intra Missam); *Korte formules* (formulae breviores Sacramentorum in casu necessitatis).

## ASIA

---

### Malaysia

(Coetus Episcoporum ditionis Malacae-Singaporensis)

I. Documenta: 14 maii 1965 (Prot. n. 2249/65); 18 maii 1965 (Prot. n. 2359/65).

III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt:

1. IN MISSA: praefatio.

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA:

a) Lingua anglica:

Pro praefatione: *St. Andrew's Bible Missal*.

b) Lingua sinica:

Pro praefatione: textus qui habetur in Missali lingua sinica exaratus a Coetu Episcoporum de Taiwan approbatus.

c) Lingua tamulica:

Pro praefatione: textus qui exstat in Missali pro hac lingua a Coetu Episcoporum Indiae approbatus.

d) Lingua malabarica:

Pro praefatione: textus a Coetu Episcoporum de Kerala, Indiae meridionalis approbatus.

---

## 2. RITUALIA:

a) **Lingua anglica:**

Interpretatio anglica ritus Benedictionis SS.mi Sacramenti a Coetu Episcoporum proposita.

---

## AFRICA

---

### Zambia

I. Documenta: 14 maii 1965 (Prot. n. 2106/65).

II. Lingua vernacula quae adhiberi potest: Mambwe, Lovale.

## IV. Interpretationes populares adhibendae:

## 1. MISSALIA:

c) **Lingua nyanja:**

Partes Proprii Missae a I dominica post Pascha ad IV dominicam post Pentecosten.

d) **Lingua lozi:**

Partes Proprii Missae a I dominica Quadragesimae ad VI dominicam post Pascha.

g) **Lingua mambwe:**

Ordinarium Missae a Coetu Episcoporum propositum.

Lectionarium a I dominica post Pascha ad ultimam dominicam post Pentecosten a Coetu Episcoporum propositum.

b) **Lingua lovale:**

Lectionarium pro diebus dominicis a Coetu Episcoporum propositum.

## 2. RITUALIA:

d) **Lingua lozi:**

Partes Ritualis in quattuor fasciculis a Coetu Episcoporum propositae.

---

## Decreta, quibus confirmantur interpretationes populares praefationum in Missa

*Die 27 aprilis prox. el. (Prot. N. 36624) Beatissimus Pater Paulus VI benigne concessit ut Praefatio in Missa proferri possit lingua vernacula. Huius indulti exsecutio, ad normam Instructionis diei 26 sept. 1964, n. 58, demandata est Coetibus Episcoporum cuiusque Nationis vel regionis, quorum est sive decernere de opportunitate pro sua quisque dictione hoc indultum applicandi, sive textum lingua vernacula approbare et ad « Consilium » pro confirmatione transmittere.*

*In praesenti et in sequentibus fasciculis, sub unico titulo, Coetus Episcoporum adnotantur, pro quibus decretum confirmationis datum est.*

India, die 14 maii 1965 (Prot. n. 2333/65) confirmantur versiones in parvis missalibus iam debite approbatis exstantes.

Jamaica, die 28 maii 1965 (Prot. n. 2508/65) confirmatur versio in appendice Missalis pro Canadia approbati exstans.

Panama, die 28 maii 1965 (Prot. n. 2509/65) confirmantur versiones in parvis missalibus iam debite approbatis exstantes.

Peruvia, die 18 maii 1965 (Prot. n. 2369/65), confirmantur versiones in parvis missalibus iam debite approbatis exstantes.

Venetiola, die 28 maii 1965 (Prot. n. 2453/65) confirmantur versiones in parvis missalibus ab ANTONANA, LEFÈBVRE et RIBERA exaratis et iam debite approbatis exstantes.

## Promotio

Exc.mus DD. HENRICUS JENNY, usque adhuc Episcopus tit. Lycaonensis, elevatus est ad sedem tit. « pro hac vice » Archiepiscopalem Salditanam, eodemque tempore deputatus est Coadiutor *cum iure successionis* Exc.mi DD. Aemilii Mauricii GUERRY, Archiepiscopi Cameracensis. (*L'Osservatore Romano*, 19 maii 1965).

## LABORES COETUUM A STUDIIS

*Post quindecim menses gravis laboris praeparatorii, in silentio et in abscondito peracti, congruum nunc videtur, rebus aliquomodo coalescentibus, quasdam lineas indicare, quae viam a « Consilio » secutam innuunt in opere instaurationis liturgicae adumbrando.*

*Ad relationes autem recte intellegendas, haec notentur:*

1. *Ea solummodo elementa praebentur quae quandam certitudinem ex parte « Consilii » iam prae se ferunt; cetera, etsi pluries examinata et discussa, si nondum satis matura visa sunt, simpliciter omituntur. Proinde aliquae partes imperfectae, non completae apparebunt: per studia successiva sunt adhuc complendae.*

2. *« Coetus a studiis » sunt Coetus Peritorum inter quos totus labor instaurationis divisus est. Iuxta quandam generalem ordinationem, cardinem laboris « Consilii » praestant.*

3. *Expressiones « Placuit Patribus », « Patres suffragium dederunt », « approbaverunt », lato sensu accipiendae sunt; idest: « mentem » ostendunt « Consilii », non quaestionum definitivam solutionem. In proseguendo labore, si nova exsurgent elementa, res aliter statui poterit.*

4. *Post examen « Consilii » longa adhuc restat via ut problemata ad portum pervenire possint. Superfluum praesertim est adnotare « Consilii » iudicium nullum vinculum constituere pro ultima et definitiva approbatione ex parte Supremae Auctoritatis.*

Principia seu criteria generalia  
ad calendarium liturgicum instaurandum

(P. Ansgarius Dirks O. P.)

I. PROPRIUM DE TEMPORE

Sub luce articuli 107 Constitutionis: « Annus liturgicus ita recognoscatur ut, servatis aut restitutis sacrorum temporum traditis consuetudinibus et disciplinis iuxta nostrae aetatis condiciones, ipsorum indoles nativa retineatur ... », disceptatum est de compositione anni liturgici, et praesertim:



a) de cyclo (periodo) natalicio, seu de festis et commemorationibus eo tempore celebrandis, uti sunt, praeter Nativitatem Domini eiusque octavam, Commemoratio Maternitatis B. Mariae V. et impositionis Nominis Iesu, Epiphania, Sancta Familia Iesu, Mariae, Ioseph, Commemoratio Baptismi Domini et primi miraculi in Cana Galileae;

b) de tempore Septuagesimae, an sit suppressendus character paenitentialis (omissis *Gloria* et *Alleluia*) huius temporis;

c) de tempore paschali, an sit reducendum, secundum venerabilem traditionem, ad spatium quinquaginta dierum.

## II. PROPRIUM SANCTORUM

A) *Norma principalis*, in calendarii romani recognitione exsequenda, est articulus 111 Constitutionis: « Ne festa Sanctorum festis ipsa mysteria salutis recoleantibus praevalcant, plura ex his particulari cuique Ecclesiae vel Nationi vel Religiosae Familiae relinquuntur celebranda, iis tantum ad Ecclesiam universam extensis, quae Sanctos memorant momentum universale revera prae se ferentes ».

B) Ad difficultates in calendario recognoscendo praecavendas hae propositae sunt *normae praeiudiciales*:

a) Ne ex una parte celebratio anni liturgici destruat, nec alia ex parte cultus Sanctorum impediatur, praeter numerum Sanctorum qui in tota Ecclesia celebrandi, ideoque calendario Ecclesiae universae inserendi sunt, calendario quamplurimi alii Sancti inserantur, quorum Missam celebrare et etiam Officium dicere, certis diebus, licebit.

Postea statuendum erit quomodo hi Sancti calendario inserantur, ne moles Missalis et Breviarii nimis crescat.

b) Ne celebratio Missae in honorem Sanctorum nimis molesta evadat et ut monotonia vitetur, pro Missis ferialibus habeatur lectio continua de Scriptura currenti, etiam in Missis Sanctorum adhibenda, nisi proprio formulario gaudeant.

C) His praemissis, ad calendarium recognoscendum hae *normae practicae* propositae sunt:

1. In calendario recognoscendo retineantur vel eique inserantur Sancti (vel coetus Sanctorum) e diversis regionibus desumptis, eo quidem consilio ut demonstretur sanctitatem per universam Ecclesiam esse

diffusam et vitetur ne calendarium romanum sit calendarium mediterraneum. Inserendi igitur essent v. g. Martyres Iaponenses, Canadenses, Ugandenses.

2. Minuenda sunt festa quae non recolunt aliquod factum vel mysterium vitae Redemptoris vel aliquem Sanctum, praesertim si duplicata constituunt aliorum festorum.

3. Plures Sancti calendario eodem die inseri possunt, et tunc, si « ad libitum » assignantur, unum e pluribus eligere licebit, cuius Missa celebretur et Officium dicatur, at in Missa unius ne fiat commemoratio ceterorum.

4. Circa diversos ordines Sanctorum haec proposita sunt in particulari:

a) Omnes Apostoli, qui sunt fundamentum Ecclesiae, et Evangelistae in calendario Ecclesiae universae retineantur.

b) Ex antiquioribus martyribus retineantur vel inserantur 1) qui cultum universalem habuerunt vel momentum universale pro vita Ecclesiae habuerunt; 2) selecti ex omnibus coetibus clericorum et fidelium.

c) Doctores maiores retinendi sunt; de minoribus singillatim sermo erit.

d) Retinendi sunt pro Ecclesia universa hi Sancti qui momentum universale prae se ferunt propter peculiarem formam spiritualitatis vel apostolatus, ab ipsis suscitata et in totam Ecclesiam diffusam.

## De psalmis distribuendis

(Mons. Ioseph Pascher)

Munus Coetui III concreditum est propositiones exarare ad satisfaciendum articulis 89 et 91 Constitutionis de s. Liturgia. Secundum art. 89c, Hora Matutina « e psalmis paucioribus lectionibusque longioribus constet » et secundum art. 91 « psalmi non amplius per unam hebdomadam, sed per longius temporis spatium distribuantur ».

### I. DE PRINCIPIIS GENERALIBUS

1. *De longitudine psalmodiae ex mente Concilii.* — Concilium diminutionem psalmodiae non solum pro Matutino prae oculis habuisse

videtur. Quod patet e comparatione articuloꝝ 89 et 91. Cum enim Constitutio art. 91 decernat psalmos distribuendos esse « per longius temporis spatium », expresse respicit ad totum art. 89 neque ad art. 89c tantum. Ergo non propter Matutinum solum, sed propter totum cursum Horarum psalterium ad longius temporis spatium extendi debet. Quae autem extensio necessario abbreviationem incisorum secumfert. Quare nequaquam ex art. 89c sequitur extra Matutinum diminutionem psalmodiae admitti non posse.

2. *De longitudine psalmodiae secundum spiritualitatem cleri.* — Possibilitas observandi cursum articuli 89, de qua in art. 91 agitur, non solum de possibilitate quasi physica, sed etiam de possibilitate spirituali intelligenda est. Queritur enim, an clerus in cura animarum constitutus in condicionibus temporis nostri possit observare cursum Horarum cum fructu spirituali. Propter hanc quaestionem Concilium articulo 89c psalmodiam Matutini abbreviandam esse decrevit et articulum 91 posuisse videtur.

Psalmodia in Breviario romano valde praevalet. Quod provenit e traditione monastica et cum condicionibus monasticis convenire videtur. Nam etiam nostris temporibus viri de vita monastica periti — etsi non omnes — asserunt psalmodiam, et quidem longam, idoneam, immo necessariam esse ad vitam spiritualem monachorum alendam.

Condiciones autem cleri moderni in cura animarum constituti a condicionibus monasticis valde differunt; de quo nemo dubitat. Ad psalmodiam quod attinet, etiam clero magnae utilitatis esse potest, si eius condicionibus accommodatur. Tunc autem longa esse non debet. Sunt qui putant psalmodiam longam clero necessariam esse, ut quietem et quasi permanentem cum Deo colloquium orationis obtineat. Sed, pro dolor, haec theoria perpulchra per circumstantias vitae durissimas irrita fit. Immo, si perseveramus insistendo in impossibilibus, damnum fortasse emerget spiritualitati.

Psalmi tamquam cantus in nostro breviario inserti qua tales cantandi aut recitandi sunt. Ut tales in s. Scriptura dati sunt, qua Verbum divinum etiam ad audiendum destinati. Dum chorus psallentium — vel etiam solus recitans — cantat ante thronum Dei et Agni, textus sacer non raro, si directe Deum alloquitur, allicit corda ad orandum directe, similiter ac in orationibus, verbis inspiratis mirabilibus, e. gr. « Diligam te, Deus, fortitudo mea » (Ps. 17, 2).

3. *De cursu per hebdomadas.* — Quibus omnibus perpensis schemata Coetus III cursum psalmodiae ad duas hebdomadas extendendum

esse censent, exceptis Laudibus et Vesperis (*vide infra* pag. 155). Qua de causa incisa s. Pii X abbrevianda sunt, quamquam non propter brevitate[m] et relaxationem per se, sed propter spirituale[m] fructum. Longitudo Horarum, sicut in Matutino, per lectiones, servari potest, si placet.

Etsi incisa per extensionem cursus abbreviari oportet, tamen cavendum est, ne recitatio in choro impossibilis reddatur. Qua de causa, ne numerus incisorum nimis augeatur et incisa singula nimis abbrevientur, pro Laudibus et Vesperis cursus unius hebdomadae retinetur.

4. *De Mysterio Paschali in psalterio hebdomadali colendo.* — Ad mentem Concilii necessarium visum est, ut Mysterium Paschale non semel tantum in anno ante oculos eluceat orantium, sed etiam unaquaque hebdomada, etsi non pari virtute et sollemnitate. Iam inde a saeculis ieiunium feriae VI rationem acquisivit memoriae Passionis Christi. In psalterio hebdomadali s. Pius X feriae VI assignavit pss. 21 et 79 tamquam psalmos Passionis. Die dominica cantantur pss. 1, 2, 3 sicut in hebdomada Paschatis; Hora Prima et in schemate II Laudum ps. 117, qui in Missali tempore paschali tantum momentum habet. Fere omnes desiderant, ut die dominica magis excolatur memoria Resurrectionis. Videtur autem error de natura Mysteriorum Paschalis imminere, si Resurrectio tantum inculcetur. Memoria Passionis pari passu addatur oportet. Qua de causa etiam feria VI lucidius prae se ferat memoriam Passionis. Schema novum noluit sabbatum psalmis memoriae quietis Domini instruere, ne triduo illo damnum fiat, quod semel in anno celebratur: Feria VI in Passione et Morte Domini, Sabbato sancto et Dominica Resurrectionis. Memorandum, autem, historice, quod etiam triduum quoddam hebdomadale Ecclesiae romanae non semper alienum fuit. Scribit enim s. Innocentius I, anno 416, ad Decentium Eugubinum: « Si diem dominicam ob venerabilem resurrectionem Domini nostri Iesu Christi non solum in Pascha celebramus, verum etiam per singulos circulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus ac feria sexta propter passionem Domini ieiunamus, sabbatum intermittere non debemus, qui inter tristitiam et laetitiam temporis illius videtur inclusum » (C. IV: PL 56, 516).

5. *De integritate psalterii distribuendi in cyclo hebdomadario.* — Omnes consentiunt quod secundum Constitutionem omnes psalmi, nullo excepto, in *Breviario* retineri debeant. Sed quaestio a quibusdam posita est utrum Constitutio relinquat libertatem quosdam psalmos, — e. gr. imprecatorios, — e cyclo hebdomadario expungendi et transferendi sive

in alium locum, sive inter lectiones. Sed textus Constitutionis agere videtur de Psalterio, sicut antea distributum erat, nullo psalmo excepto. Omnes psalmi vero, ut oratio Christi et Ecclesiae, recitari possunt in Ecclesia Novi Testamenti, etiam imprecatorii.

## II. DE PSALMIS SINGULIS HORIS ASSIGNANDIS

Psalmi generaliter ponuntur ordine continuo, sicut traditum est. Psalmi autem speciales assignantur tum Laudibus, Vesperis et Completorio, cum, propter Mysterium Paschale, diei dominicae et feriae VI. Qua ordinatione et cursu hebdomadae unius inculcatur momentum magnum, quod habent Laudes et Vesperae, et ante omnia Mysterium Paschale.

### 1. *Ad Laudes*

Patribus « Consilii » placuit ut quattuor psalmi et unum canticum dicenda retineantur, sicut in hodierno Officio, hac ratione disposita:

a) primo loco psalmus inthronisationis Christi, excepta feria VI, in qua haberetur ps. 50;

b) secundo loco series psalmoreum traditionalis;

c) quarto loco canticum traditionale;

d) quinto loco series pss. 148-150, ita tamen ut cotidie unus ex his psalmis sumatur.

### 2. *Ad Vesperas*

Inter duas propositiones pro quinario et ternario psalmoreum numero, Patres « Consilii » statuerunt pro quinario numero. Ratio principalis est traditio 5 psalmoreum, quae a pluribus saeculis in liturgia romana viget; servatur autem parallelismus inter schema quinarium Laudum et Vesperarum et sic indoles Horae maioris in quinario numero melius servatur. Nihil vero impedit quominus in celebratione cum populo duo psalmi omittantur et duo typi Vesperarum astruantur: primus, completus, pro clero; alter, aptatus populo.

### 3. *Ad Completorium*

Etsi fuerunt in disceptatione conciliari qui Completorium ad unicum tantum psalmum 90 contrahere proposuerunt, exemplo suffulti cursus a sancto Basilio descripti, periti unanimiter Patribus « Consilii » proposuerunt ut tres psalmi in Completorio secundum traditionem romanam et sancti Benedicti retineantur.

Inter duas propositiones pro invariabilitate psalmorem in Completorio et variatione, Patres « Consilii » optaverunt pro variatione quotidiana, uti nunc in Breviario romano, propter periculum taedii et consuetudinis.

#### 4. *Ad Horas minores*

Etsi Commissio Piana anno 1957 cogitabat de uno tantum psalmo, et quidem brevissimo, in unaquaque Hora proponendo, ab omnibus sodalibus huius Coetus propositum est ut tres psalmi retineantur, salva quidem facultate eos a subcommissione competente dividendi in plures breviores sectiones (seu incisa).

a) Nam ad recolligendum animum vix sufficere potest nimis brevata oratio, praecipue cum in recitatione privata unam tantum Horam seligere liceat;

b) qui choro sunt obligati vix ter in die hora competenti suos labores relinquent, et in unum convenient ad breviorum Horam persolvendam.

Inter duas propositiones pro invariabilitate psalmorem in Horis minoribus, sicut apud monachos, et variatione, Patres « Consilii » optaverunt pro variandis psalmis, iis rationibus moti quod: repetitio taedium et consuetudinem parit, distractionibus favet; facilius erit aptatio cursus psalmorem per hebdomadam distribuendum, si variantur cotidie Horae minores.

Quoad longitudinem spatii, Patribus « Consilii » placuit cursum bi-hebdomadalem retinere.

#### 5. *Ad Nocturnum*

Omnes periti concordantes fuerunt, et placuit Patribus « Consilii » ut:

a) servetur Invitatorium (psalmus 94 vel alius psalmus aptus) tam in choralis, quam in recitatione a solo. Attamen, si officium lectionis non recitatur ut prima diei Hora, tunc initio primae Horae, sc. Laudum, praeponeatur.

b) Extra dies festos sollempniores, tres psalmi retineantur. Tres enim psalmi inveniuntur in officio Paschatis et etiam, in ritu Dominicano, toto tempore paschali. Hic numerus traditione psalmodiae christianae fundatur, et viam patefacit ad psalmorem cursum per plures hebdomadas instruendum. Plures Patres in Concilio eandem propositionem suggererunt, et sapiens videtur hae psalmodiae quantitas.

Etiam pro Matutino assentierunt Patres cursui duarum hebdomadarum. Quaestio de Officio nocturno contemplativorum ad ulteriorem investigationem translata est.

# Sacra Congregatio Rituum

## PATROCINIUM SANCTI BENEDICTI ABBATIS

### PATRONI PRINCIPALIS EUROPAE

(die 11 iulii)

### DIOECESIUM EUROPAE

Sanctum Benedictum Abbatem, qui Europae rebus praeesset easque propitiatione sua maioribus in dies proveheret incrementis, Sanctissimus Dominus noster Paulus Papa VI principalem totius Europae apud Deum Patronum constituit ac declaravit per Apostolicas Litteras *Pacis nuntius* die 24 mensis octobris 1964 datas (cfr. *A. A. S.* 1964, pp. 965-967).

Quo autem huiusmodi patrocinium maiore celebraretur liturgica solemnitate, Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi ab Eodem Ss.mo Domino nostro Paulo Papa VI tributarum, Missam propriam de S. Benedicto Abbate, Europae Patrono, concinnavit eamque, prout in adnexo prostat exemplari, probavit.

Eadem insuper Sacra Rituum Congregatio, firmo manente S. Benedicti Abbatis festo gradu III classis die 21 mensis martii, servatis rubricis, recolendo, indulget ut, quotannis die 11 mensis iulii, in omnibus et singulis Europae ecclesiis et oratoriis, Missa de praefato patrocinio S. Benedicti celebrari possit tamquam votiva II classis. Si vero dies 11 iulii in dominicam inciderit, permittuntur duae tantum Missae de eodem patrocinio, tamquam votivae II classis, iuxta n. 360 Codicis rubricarum.

Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Die 26 maii 1965.

ARCADIUS MARIA Card. LARRAONA

*S. R. C. Praefectus*

Ferdinandus Antonelli, O.F.M.

*S. R. C. a Secretis*

Cum ex superiore dispositione (S. R. C., die 4 martii 1965) Patrocinium sancti Benedicti, ipsius festo die 21 martii gradu III classis remanente, sit quotannis die 11 iulii recolendum, Missa hoc die non poterat esse nisi votiva, et quidem II classis, ad modum sollemnitatum externarum (*Cod. rubric. n. 360*).

Peroportune statutum est ut Missa sit facultativa, non obligatoria. Quod certe cedit in maiorem devotionem et cultum erga s. Benedictum, qui cum habeat proprium festum traditionale die 21 martii, contra spiritum et rubricarum et instaurationis liturgicae fuisset alterum festum praeceptivum instituere.

Hac ratione, patrocinium Patroni Europae, sacrae Liturgiae quam maxime cultoris et actoris, perbelle ingreditur ius vicens et desideria novae legis.

Textus novae Missae, qui in Actis Apost. Sedis quam primum publicabitur et in editione liturgica iam exstat apud « Libreria Editrice Vaticana », sic se habent:

#### ORATIONES

##### *Oratio*

Beáti Benedicti Abbátis iuvémur, Dómine, précibus et doctrína: ut, qui per illum multos tibi pópulos adunásti; unitátis nobis in tuo servítio pacís-que dona concédas. Per Dóminum.

##### *Oratio super oblata*

Hæc sancta, Dómine, beátus Benedictus Abbas tibi reddat accépta, cuius vitam voluísti excélsis micáre virtútibus, et mónita singulári frugum cópia redundáre. Per Dóminum.

##### *Oratio post Communionem*

Uníus panis effécti partícipes, te, Dómine, deprecámur: ut, qui beátum Benedictum patrem multárum géntium benigníssimus effecísti; Ecclésiám tuam, ipso suffragánte, et concórdia fóveas et fecunditáte lætífices. Per Dóminum.

#### LECTIONES

*Epistola:* Eccli. 50, 1, 4, 5, 6-11, 13.

*Evangelium:* Mt. 19, 27-29 (e Communi Abb.).

#### CANTUS

*Antiphona ad introitum:* Gen. 12, 2; Ps. 111, 1.

*Graduale:* Eccli. 24, 3-4.

Alleluia. †. Vir Dei Benedictus ómnium iustórum spírítu plenus fuit; ipse intercédát pro cunctis fámmis populórum.



*Tractus:* Ps. 111, 1-3 (e Communi Conf. Pont. I loco).

*Tempore paschali:* Ps. 91, 13; Osee 14, 6 (e Communi, Abb.).

*Antiphona ad Offertorium:* Ps. 1, 3.

*Antiphona ad Communionem:* Eccli. 44, 25-26.

## DECRETA PARTICULARIA

### MEDIOLANENSIS

¶ Em.mus Card. Ioannes Colombo, Archiepiscopus Mediolanensis, facultatem obtinuit (10 martii 1965, Prot. S.R.C., M. 20/965) ut in ordinandis subdiaconis, diaconis et presbyteris, postquam Episcopus celebrans praescriptas caeremonias pro primo perfecerit, ab uno alterove ex Episcopis Auxiliaribus adiuvetur in tradendis sacris vestibus singulis ordinatis, his condicionibus:

- a) Episcopus sacros Ordines conferens singulas formulas in plurali recitet;
- b) Episcopi Auxiliares, nihil dicentes, indumenta singulis ordinandis tradant;
- c) Episcopi Auxiliares induti sint stola, pluviali et mitra.

¶ Item, die 24 februarii 1965 (Prot. S.R.C., M. 14/965) obtinuerat facultatem omittendi in allocutione quae ordinationi subdiaconorum praecedit, verba: « Et ideo, si usque nunc fuistis tardi ad Ecclesiam, amodo debetis esse assidui. Si usque nunc ebriosi, amodo sobrii. Si usque nunc inhonesti, amodo casti ».

¶ Die 4 februarii 1965 (Prot. S.R.C., M. 1/965) facultatem habuit applicandi ritui ambrosiano normas practicas quas praebet *Instructio* diei 26 sept. 1964, sub nn. 36; 48 a, b, c, f, g, i, j, k, l; 49 a, b; 50; 51; 53, 54; 55; 56 et 60. Peculiares autem rubricae eodem decreto approbatae sunt, quibus novae normae ritus romani ritui ambrosiano applicantur pro lectionibus, pro oratione fidelium et doxologia in fine Canonis.

### ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM

¶ Die 13 febr. 1965 (Prot. S.R.C., O. 17/965) approbantur mutationes in rubricas Missalis iuxta ritum Ordinis inducendas, ad normam novi Ordinis Missae ritus romani nuper editi.

¶ Die 8 martii 1965 (Prot. S.R.C., O. 29/1965) conceditur ut *Confiteor*, *Misereatur* et *Indulgentiam* dicantur iuxta textum Ritus romani, in propriis ecclesiis, in Missa cum participatione fidelium celebrata, quando adest ratio pastoralis.

#### ORDINIS FRATRUM B. M. V. DE MONTE CARMELO

¶ Die 13 febr. 1965 (Prot. S.R.C., O. 16/1965) conceditur facultas utendi in Missis cum populo celebratis nova recensione Ordinarii Missae et rubricarum, prout continetur in liturgicis libris illius dioeceseos in qua sacerdotes dicti Ordinis inveniuntur, idque donec Capitulum Generale proxime celebrandum hac super re sententiam suam tulerit.

¶ Die 15 febr. 1965 (Prot. S.R.C., O. 14/1965) sequentes variationes approbantur:

- 1° ad normam n. 36 *d Instructionis*: oscula planetae celebrantis ex parte diaconi omittuntur;
- 2° ad normam n. 48 *c Instructionis*: Sacerdos accedens ad altare psalmum 42 omittere potest, itemque post Missam hymnum *Te Deum*;
- 3° ad normam n. 48 *e Instructionis*: ante orationem secretam seu super oblata, omittantur verba: *Domine, exaudi orationem...*, praemittitur tamen *Oremus*;
- 4° In omnibus Missis calix ad Offertorium praeparatur.

---

Ex « *Ilustración del clero* » (Madrid), 58 (1965) [79]:

« ... a Dios gracias ... tenemos un faro en el *Consilium* nombrado por el Pontífice precisamente para poner en práctica la restauración con garantía de acierto. El *Consilium* es el único faro al que nuestra Revista acude a buscar luz en las sombras. Su respuesta será de nuestro agrado o no lo será; pero en todo caso es la única respuesta orientadora ».

*Gratias, pro humanissimis verbis, pro sinceritate et fiducia.*

---

# Actuositas Coetuum Episcoporum

## LIBRI LITURGICI OFFICIALES

### ANGLIA-CAMBRIA

#### **Missale romanum et anglicum**

Birmingham and Dublin: C. Goodliffe Neale, 1965.

Impressum in Belgio, typis H. Dessain, Malines.

Totum opus comprehendet quinque volumina et publicatur sub moderamine Secretarii Commissionis episcopalis de sacra Liturgia Angliae-Cambriae, pro usu, « ad interim », in Anglia et multis aliis nationibus anglicae linguae.

Versio anglica sacrae Scripturae facta est a KNOX; excerpta e Rituali desumpta sunt a *The Small Ritual* archiepiscopi Birminghamiensis; pro Ordinario Missae versiones praebentur officiales Coetuum Episcoporum Angliae-Cambriae, Hiberniae et Scotiae; partes Proprii desumptae sunt e translatione D. ris John REA (ed. Brepols, Turnhout, Belgio). Apparuerunt duo priora volumina:

#### **Pars I: Ordo Missae:**

19×25 cm., pp. 62.

CONTENTUM: Orationes cum sacerdos induitur sacerdotalibus paramentis; Orationes pro Episcopo quando celebrat sine pontificalibus; Ordo Missae (latino-anglicus cum textibus variantibus pro Anglia-Cambria, Scotia et Hibernia); Ordo incensationis altaris; Gratiarum actio post Missam; Aspersio aquae benedictae; Ritus servandus in celebratione Missae; De defectibus in celebratione Missae occurrentibus.

#### **Pars II: Tempus paschale:**

19×25 cm., pp. 84-[56]-72\*.

CONTENTUM: Proprium de Tempore a dominica Resurrectionis ad sabbatum IV Temporum Pentecostes; Proprium Sanctorum a die 21 aprilis ad diem 4 iunii; Commune Sanctorum; Missae votivae; Missae defunctorum.

## CANADIA

## Rituel des Sacrements

approbatum a Coetu Episcoporum Canadae.

Editor: Editions HMH L<sup>tee</sup>, Maison Mame.

Impressum in Gallia, typis Mame, Tours, 1965.

17,5×23 cm., pp. 331.

CONTENTUM: *Sectio I*: Initiatio christiana: Rubricae generales; Baptismus unius infantis; Si plures baptizantur; Praenotanda de baptismo adultorum; Ordo baptismi adultorum (per septem gradus distinctus); Ordo supplendi omissa super infantem baptizatum; Confirmatio: rubricae generales; Ritus confirmationis servandus a sacerdote; Eucharistia: rubricae generales; Decretum diei 21 nov. 1964 de ieiunio eucharistico; Ordo administrandi sacram Communionem extra Missam. *Sectio II*: Paenitentia: rubricae generales; Absolutio: forma communis. *Sectio III*: De infirmitate: rubricae generales; Visitatio infirmorum; Ordo administrandi sacram Communionem infirmis; Unctio infirmorum: rubricae generales (una cum articulis respectivis e *Constitutione* de sacra Liturgia et *Instructione* diei 26 sept. 1964); Ordo ministrandi Sacramentum Unctionis infirmorum; Benedictiones aegrotantium: Benedictio mulieris praegnantis; Benedictio puerorum aegrotantium; Benedictio adulti aegrotantis. *Sectio IV*: Mors: Ritus confirmationis in periculo mortis: excerptum e rubricis; Ordo administrandi sacram Communionem infirmis; Ritus continuus ministrandi Sacramenta infirmis; Ritus Benedictionis Apostolicae in articulo mortis; De cura morientium; Commendatio animae; Exsequiarum ordo. Ordo sepeliendi parvulos. *Sectio V*: Benedictiones: De benedictione mulieris post partum; Benedictio pueri; Benedictio puero-  
rum; Benedictio domorum tempore paschali; Benedictio domorum extra tempus paschale; Benedictio domus scholaris; Benedictio bibliothecae; Benedictio primarii lapidis aedificii; Benedictio vehiculi seu currus; Sollemnis benedictio imaginis; Benedictio panis; Benedictio ad quodcumque comestibile; Benedictio seminum; Benedictio ad omnia.

## CIVITATES FOEDERATAE AMERICAE SEPTENTRIONALIS

**Roman Missal. Missale romanum.**

New York, Catholic Book Publishing Co., 1964.

18,5 × 26,5 cm., LXXI-804-[306]-12\*-6\*\*- [24\*] pp.

CONTENTUM: Decretum Coetus Episcoporum Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis; Decretum Consilii ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia; Decreta Pii V, Clementis VIII, Urbani VIII et Ioannis XXIII; Sacra Rituum Congregatio: Decretum generale, Rubricae generales, Rubricae generales Missalis romani; De anno et eius partibus; Tabula paschalis antiqua reformata, etc.; Calendarium; Ritus servandus in celebratione Missae; De defectibus in celebratione Missae occurrentibus; Praeparatio ad Missam; Gratiarum actio post Missam; Ordo incensandi, etc.; Proprium de Tempore usque ad Sabbatum Sanctum; Ordo Missae; Proprium de Tempore inde a dominica Resurrectionis; Proprium Sanctorum; Commune Sanctorum; Missae votivae; Orationes diversae; Missae defunctorum; Orationes diversae pro defunctis; Ordo absolutionis; Proprium Sanctorum pro aliquibus locis; Commune Sanctorum pro aliquibus locis; Ordo ad faciendam et aspergendam aquam benedictam; Cantus ad libitum; Appendix ad Missale romanum: Benedictiones diversae; Benedictiones ab Episcopis ... faciendae; Ritus Confirmationis; Ordo ad patenam et calicem consecrandum; Index; Missae propriae dioecesium Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis; Missae speciales; Praefationes particulares.

Versio lectionum necnon et versiculorum psalmorum desumpta est ex translatione quae nomen ducit a « Confraternity of Christian Doctrine ».

*Hoc Missale, unum textum anglicum continens, impressum iam erat cum die 26 septembris 1964 in lucem prodiiit « Instructio ad executionem Constitutionis de sacra Liturgia recte ordinandam ». Proinde indultum est ut « exemplaria impressa devenderentur ». Curae autem erit Coetui Episcoporum ne « nova imprimantur nisi habeant et novum Ordinem Missae cum Ritu servando et De Defectibus, et textum integrum latinum una cum textu lingua anglica exarato, iuxta praescriptum Instructionis » (n. 57).*

## REGIONES GALLICAE LINGUAE

**Missel romain latin-français.**

Editores: Desclée - Dessain - Mame.

Impressum in Belgio, typis Desclée et Cie., Tournai.

Versio gallica approbata est a Coetibus Episcoporum Africae Aequatorialis, Africae Septentrionalis, Africae Occidentalis, Belgii, Camma-rauniae, Canadiae, Congi, Galliae, Helvetiae, Luxemburgi, Madagasca-riae, Ruandae-Burundiae.

**Pars I:**

19 × 25 cm., pp. 140-[66], 1964.

CONTENTUM: Proprium de Tempore a dom. I Adventus ad dom. Quinquagesimae; Proprium Sanctorum a die 29 nov. ad diem 6 martii; Missae propriae Belgii, Canadiae, Galliae; Ordo Missae; Commune Sanctorum; Missa pro Sponsis; Missa votiva pro unitate Ecclesiae; Missae defunctorum; Orationes diversae pro defunctis.

**Pars II:**

19 × 25 cm., pp. 268-[66], 1965.

CONTENTUM: Proprium de Tempore a feria IV Cinerum usque ad sabbatum IV Temporum Pentecostes; Proprium Sanctorum a die 9 febr. ad diem 6 iunii; Missae propriae Canadiae et Galliae; Ordo Missae; Commune Sanctorum; Missa pro Sponsis; diversae Missae votivae; Supplementum: Textus processionis palmarum, pro mandato fer. V in Cena Domini, pro adoratione Crucis feriae VI in Passione et Morte Domini, *Exsultet*, benedictionis aquae baptismalis et ipsius ritus baptismalis in lingua gallica.

**Lectionnaire français**

pour tous les jours selon le Missel romain.

Editores: Desclée - Dessain - Mame.

Impressum in Belgio, typis Desclée, Tournai, 1964.

Versio gallica approbata est a Coetibus Episcoporum Africae Aequatorialis, Africae Occidentalis, Africae Septentrionalis, Belgii, Camma-

---

rauniae, Canadiae, Congi, Galliae, Helvetiae, Luxemburgi, Madagascariae, Ruandae-Burundiae.

15,5 × 23 cm., pp. 634.

CONTENTUM: Nota de contentu Lectionarii; Excerpta ex *Instructione* diei 26 sept. 1964 de interpretationibus popularibus textuum liturgicorum; Proprium de Tempore; Proprium Sanctorum; Propria particularia: Belgii, Canadiae, Helvetiae et Galliae; Commune Sanctorum; Missae votivae; Missae defunctorum; Index lectionum biblicarum; Index festorum.

## HISPANIA

### Leccionario.

Volumen I: Domingos y Fiestas.

Editor: Editorial Litúrgica Española, S. A.

Impressum typis « Sociedad Alianza de Artes Gráficas » (S.A.D. A.G.), Barcelona, 1965.

20 × 28 cm., pp. 221.

CONTENTUM: Proprium de Tempore; Proprium de Sanctis; Appendix.

## ITALIA

### Messale romano latino-italiano per le Domeniche e Feste.

Editores: Desclée - Libreria Editrice Vaticana - Mame - Marietti.

Typis Marietti, Torino, 1965.

20,5 × 29 cm., pp. 655.

### Messale romano latino-italiano per le Domeniche e Feste.

Editor: Daverio, Milano.

Typis Daverio, Milano, 1965.

19 × 29 cm., pp. XIX-636.

CONTENTUM: Ritus servandus in celebr. Missae (ed. Daverio etiam: De defectibus); De defectibus; Proprium de Tempore a dom. I Adven-

tus usque ad dominicam Pentecostes; Ordo Missae; Tempus per annum post Pentecosten; Proprium Sanctorum; Aliquae Missae de Communi, votivae et Defunctorum; Orationes diversae pro defunctis; Orationis fidelium formularia.

### **Lezionario**

Versione italiana delle Letture bibliche per la proclamazione liturgica nella S. Messa.

Editor: Elle Di Ci - Torino - Leumann.

Typis Marietti, Torino, 1965.

18,5 × 26,5 cm., pp. 277.

CONTENTUM: Commissio Episcopalis pro sacra Liturgia: Normae pro lectionibus; Proprium de Tempore; Proprium de Sanctis; Missa pro Sponsis; Missae defunctorum; Index biblicus.

### **Missale ambrosianum latinum et italicum**

Eminentissimi Ioannis Card. COLOMBO iussu editum.

Editor et typographus Daverio, Milano, 1965.

23 × 33,5 cm., pp. 290 et fasciculi separati, successive edendi, Proprii de Tempore cum propria paginarum indicatione.

CONTENTUM: Commune Sanctorum; In Anniversario Dedicationis Ecclesiae; Missae Feriales et Votivae; Ordinarium Missae; Missae pro Defunctis; Collectarium sive Orationes votivae ad diversa. — In fasciculis separatis: E Proprio de Tempore et Proprium Sanctorum.

## **MELITA**

### **Appendix Missali romano addenda**

Missas pro diebus Dominicis Festisque de praecepto cum textuum liturgicorum versione in linguam Melitensem complectens.

Melitae (Malta): Commissio liturgica Provinciae Melitensis, 1965.

Typis « Empire Press » - Istitut Kattoliku, Furjana - Malta.

20,5 × 27,5 cm., pp. 201.

CONTENTUM: Proprium de Tempore usque ad dominicam secundam Passionis seu In palmis; Ordo Missae; Proprium de Tempore a dominica



Resurrectionis usque ad ultimam dominicam post Pentecosten; Proprium Missarum de Sanctis; Addenda pro dioecesi Gaudiensi; E Communi Sanctorum et ex Missis votivis.

### **Triduum sacrum**

Supplementum cum versione in linguam Melitensem. Melitae (Malta): Commissio liturgica Provinciae Melitensis, 1965.

Typis « Empire Press » - Istitut Kattoliku, Furjana - Malta.

21 × 28,5 cm., pp. 48.

CONTENTUM: Ex Ordine Missae; De Missa sollemni vespertina in Cena Domini; Feria Sexta in Passione et Morte Domini; De sollemni Actione liturgica postmeridiana; De Vigilia paschali; De Missa sollemni Vigiliae paschalis.

### **De Ordinibus conferendis**

(Sine loco et anno)

Typis « Empire Press », Floriana.

21 × 29 cm., pp. 12.

CONTENTUM: Allocutiones et admonitiones pro Ordinibus minoribus et maioribus usque ad presbyteratum inclusive.

## **DE PRIMIS GRESSIONIBUS INSTAURATIONIS LITURGICAE**

### **BELGIUM**

#### **I. INCEPTA**

1. *Duo decreta* Conferentiae Episcopalis Belgicae edita sunt: *primum* (24-2-1964) obligatoriam reddit, inde a dominica Pentecostes 1964, proclamationem in lingua vernacula Epistolae, Evangelii et Lectionum — necnon homilium. — *Secundum* (10-12-1964) introducit, facultative inde a die 3 ianuarii 1965, officialiter inde ab initio Quadragesimae, licentiam applicandi practice omnia quae praevidet *Instructio* quoad celebrationem Missae cum populo, et quoad administrationem Sacramentorum et Sacramentalium.

2. *Diversae publicationes*: 1. Textus *Constitutionis de sacra Liturgia* missus est ad omnes sacerdotes in diversis dioecesibus. 2. Item pro textu *Instructionis*. 3. Litterae pastorales Episcoporum de sacra Liturgia tractaverunt. 4. Multi « articuli » in periodicis dioecesanis et aliis (*Tijdschrift voor Liturgie, Pastor bonus, Paroisse et Liturgie, Feu nouveau*) editi sunt.

3. *Congressus liturgicus* locum habuit pro Flandria et Hollandia, diebus 7-10 septembris 1964 Gandavi (« Liturgia post Concilium »), cum celebrationibus SS. Eucharistiae, Verbi Dei, Vesperarum.

4. *Nominati coetus* pro decanis diversarum dioecesium — pro legatis uniuscuiusque decanatus seu districtus — qui suis confratribus praesto sint in elaboranda et applicanda reformatione seu instauratione.

5. *Directorium Missae* editum est, proponens formam celebrationis iuxta *Instructionem* et novum *Ritum servandum*.

6. *Contactus* Commissionis nationalis liturgicae cum commissionibus nationum vicinarum, scil. gallica, neerlandica, germanica; textus enim harum nationum accipiuntur apud nos.

## II. EXITUS PRIMAE APPLICATIONIS

1. Multae paroeciae et instituta progressive, inde a die 3 ianuarii 1965, novas dispositiones applicaverunt. Inde ab initio Quadragesimae, plurimae paroeciae et fere omnia instituta religiosa applicant maximam partem eorum quae nunc permissa sunt; *ubique* saltem lectiones proclamantur in lingua vernacula.

2. Gaudium magnum apud sacerdotes et apud plerosque fideles qui melius ac antea, idest magis conscie et active, Missam participant.

3. Concelebratio feliciter peracta est fere ubique in Cena Domini (ac Missa Chrismatis) et in Vigilia paschali.

4. Commissio liturgica nationalis et commissiones dioecesanae active laborant. Commissio nationalis (cum 2 sectionibus: linguae gallicae et linguae neerlandicae) saltem semel in mense, coordinat laborem commissionum dioecesanarum, contactum habet cum commissionibus nationalibus vicinis, praeparat textus pro Rituali, etc.

## III DIFFICULTATES

1. Spatium temporis insufficiens pro parandis textibus in lingua vernacula.

2. « Plurilinguismus » in nostra patria: quatenus lingua vernacula adhibenda est in quibusdam regionibus — immo paroeciis — ubi linguae mixtae sunt — et ubi peregrini adsunt?

3. Adaptatio ecclesiarum et oratoriorum liturgiae Missae instauratae, scil. locus altaris adiuncti pro celebratione versus populum, locus sedis celebrantis et ministrorum, locus Verbi proclamandi, tabernaculum, locus crucis altaris.

4. Quidam « progressistae » usum adhuc maiorem linguae vernaculae volunt, et de facto introducunt, scil. pro praefatione in Missa.

5. Quidam « conservatores » oppositionem faciunt et postulant ut regulariter — v. g. bis in dominica — Missa celebretur lingua latina (praeter lectiones).

6. Sacerdotes aetatis provectioris mutationes difficile applicant.

7. Numerus adhuc parvus et mediocritas cantuum in lingua vernacula.

## IV. PROPOSITIONES ET VOTA

1. Venia recitandi praefationem in lingua vernacula ut praefatio unum quid efficiat cum dialogo praecedenti et cum *Sanctus - Benedictus*.

2. Benedictio finalis in Missa detur ante *Ite, missa est*.

3. Locus indicetur magnae crucis altaris, aut post altare ita ut celebrans tergum vertere possit cruci quae spectat versus fideles, aut pendens supra altare, ita ut celebrans tergum vertat fidelibus quando crucem incensat.

4. Venia detur adhibendi textus faciliores pro pueris et iuvenibus loco quarundam pericoparum quae praesertim pro epistolis adhibentur (v. g. epistolae sabbati post dom. III in Quadragesima, vel dominicae IV in Quadragesima).

5. Tempus sufficiens detur ad indicandas futuras instaurationes.

✠ GULIELMUS M. VAN ZUYLEN  
*Episcopus Leodiensis*

## HISPANIA

## I. INNOVATIONIS LITURGICAE PRAEPARATIO

1. Die 9 februarii 1964, Rev.mi Metropolitani congregantur in sessionem, in qua Exc.mus Archiepiscopus Burgensis studium exhibet ad Constitutionem Conciliarem de sacra Liturgia in Hispania exsequendam.

2. Die 15 aprilis eiusdem anni, prima plenaria congregatio Hispanici Episcopatus celebratur ad definitiones concretas enuntiandas « Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia » super innovatione liturgica in Hispania, praesertim super his, quae ad usum vernaculae linguae referuntur. In hac plenaria congregatione Consilium Episcopale de Liturgia constituitur ac ordinatur, quod ab Episcopatu delegatur et auctoritatem accipit ad omnia solvenda ac definienda, quae ad sacram Liturgiam in Hispania attinet. Die 22 octobris ipsius anni alia plenaria congregatio Romae perficitur.

3. Die 12 novembris 1964, Consilium Episcopale promulgat ac praecipit decreta, ab Episcopatu elaborata et a « Consilio » confirmata, super linguae vernaculae usu, simulque normae ordinantur generales ad finem pastorem innovationis liturgicae et fidelium catechesim referentes.

4. Interpretum librorum de Liturgia associatio efformatur ex peritis in re liturgica, in Sacra Scriptura ac in lingua latina et hispanica, qui proprium suum laborem diligenter incipiunt.

5. Mense iulio, « Nationalis Hebdomada », ad principia divulganda Constitutionis Conciliaris de sacra Liturgia celebratur. Maior dioecesium Hispaniae pars innumeras pro sacerdotibus hebdomadas, dies ac coetus ordinarunt; e quibus aliquae indolem habuerunt interdioecesanam; innumerae etiam parociae fideles edocuerunt de re liturgica, celebratione dierum ac hebdomadarum studii.

6. Ephemerides omnes religiosas ac periodica diurna regulariter aperuerunt communicationes, notitias et studia de innovatione liturgica,

---

ita ut eius cognitio per universam nationem diffusa sit. Specificae ephemerides (*Hodie, Phase, Liturgia*) editiones monographicas pro argumento Constitutionis conciliaris ediderunt.

## II. INNOVATIONIS LITURGICAE APPLICATIO

1. Communi Episcopatus consensu, lectio Epistolae et Evangelii Missae a prima die ianuarii 1965 lingua vernacula perficitur in omnibus Missis cum concursu populi. Ad hunc finem Missales fidelium, a Consilio Episcopali approbati sunt, dumtaxat adhibentur. Similiter, ipsamet die, sacramenta Baptismi ac infirmorum Unctionis lingua vernacula iuxta redactionem a « Consilio » approbatam, administrantur.

2. A die 7 martii ceterae normae Episcopatus super linguae vernaculae usu, a « Consilio » approbatae die 4 novembris 1964, ab omnibus observantur.

3. Mense ianuario 1965, Consilium Episcopale versionis hispanicae officialis editionem promulgat Ordinarii Missae, quae ab ephemeridibus officialibus Dioecesium divulgata est simulque ab innumeris publicationibus, quorum scriptorum numerus ad mille millium accedit.

4. Primis anni diebus Consilium Episcopale edidit « Directorium pastorale Sanctae Missae » et « Lectionarium » pro dominicis ac festis de praecepto.

## III. EXITUS VEL FRUCTUS

1. Fidelium exspectatio ob innovationem liturgicam haud facile narrari potest. Linguae vernaculae usus in sancta Missa, in quorundam Sacramentorum administratione, nuperque in liturgicis Maioris Hebdomadae actibus prorsus auxit fidelium in Liturgia participationem attentam, activam ac consciam, ad quod etiam non minus contulit celebratio sanctae Missae coram populo. Innovationis liturgicae fructus, nunc dumtaxat in initiis, palam observantur, riteque praevideri potest transcendentalis Constitutionis Conciliaris influxus pastoralis.

2. Expergefacta est parochorum ac ecclesiarum rectorum conscientia, ad loca cultus disponenda forma aptiore ad participationem fidelium, magisque ultimis ordinationibus liturgicis conveniente.

## IV. DIFFICULTATES

Ex parte fidelium, nulla, sed omnia affirmative considerantur atque abundantiores fructus et proventus continuo suscitantur.

Ex parte vero cleri, Hierarchia saepe tenetur quosdam motus reflectione absonos refrenare ac temeraria incepta eorum, qui scire sentiunt super Papam et Episcopos.

Ad affirmanda exposita simulque abundantiores ac efficaciores fructus in feraci pastoralis munere, quod est sacra Liturgia, obtinendos, Officium Nationale Consilii Episcopalis de Liturgia in praesenti accommodatius ordinatur.

✠ IOANNES HERVÁS  
*Episcopus Cluniensis*

## LUSITANIA

## I. INCEPTA

1. Commissio Episcopalis de re liturgica impigre adlaborat tum ut omnia documenta instaurationem respicientia, praesertim *Constitutio* et *Instructio*, omnibus sacerdotibus et christifidelibus nota sint, tum ut spiritus liturgicus omnium mentes pervadat.

2. Nostra Commissio iam Ordinarium Missae lusitana lingua edit et nunc in eo est ut Missale bilingue mox edat.

3. Episcopi in coetibus regionalibus cum Sacerdotibus convenientes in instaurationem liturgicam operam introductoriam sat feliciter naverunt.

4. In Civitate Portalegrensi, in Octava Hebdomada Pastoralis, hoc anno, mense ianuario habita, actum est de conditionibus ad instaurationem liturgicam peragendam. Nobiscum efficaciter collaboravit R. P. Roguet, O. P., et plus quam ducenti sacerdotes, sive dioecesis Portalegrensis-Castri Albi sive fere omnium dioecesium Lusitaniae, ibi conveniunt. Eodem tempore etiam pro laicis coetus de re liturgica tractantes celebrati sunt. Et instrumenta communicationis socialis hunc inceptum efficaciorum reddiderunt.

## II. EXITUS PRIMAE APPLICATIONIS

1. Ubi fideles per catechesim liturgicam manuducuntur, ibi ab eis instauratio liturgica laeto gratoque animo suscipitur; ubi autem tantummodo lingua mutatur, ignorantia non tollitur.

2. Hisce paucis diebus elapsis post instaurationem inceptam, iam participatio activa fidelium eis connaturalis demonstratur et eorum regale sacerdotium gradatim ostenditur.

### III. DIFFICULTATES

1. Spiritus filialis devotionis et christianae obedientiae erga Summum Pontificem semper a Lusitana Natione exhibitus multum confert ut instaurationis liturgica corde magno et animo volenti suscipiatur.

2. Attamen deductio in praxim non facilis inventa est, tum quia textus, v. g. « Ordo Missae », tempestive desiderabantur, quia Episcopi residentiales praevio nuntio carebant.

### IV. PROPOSITIONES

1. Ut silentium magnum habeatur a *Te igitur* usque ad *Per ipsum*: hoc silentium sacrum a fidelibus exoptatur.

2. Praescribenda dilucide redigantur ne confusiones exoriantur nec interpretationes multiplicentur.

3. Optandum est ut quae nunc mutata sunt non amplius mutantur.

4. Etiam optandum est ut quod est obligatorium et quod est ad libitum bene distinguatur.

✠ AUGUSTINUS LOPES DE MOURA  
*Episcopus Portalegrensis - Castri Albi*

## BIRMANIA

### I. INCEPTA

1. Altare, temporaneum saltem, ad fidelium congregationem propiciens, in pluribus ecclesiis paratum fuisse constat.

2. Lingua vulgaris ubique, saltem ad legendam Epistolam et ad annuntiandum Sanctum Evangelium, enixe adhibetur. Aliquibus in locis, exempli gratia apud quos lingua vulgaris Kachin et Karen assumitur, eadem lingua vulgaris in tota Liturgia Verbi, i. e. usque ad Offertorium Missae, usurpatur.

3. In pluribus dioecesis Oratio fidelium regulariter enuntiatur.
4. Benedictio palmarum, secunda dominica Passionis, ubique vulgari sermone peracta est.
5. Diebus festivis, Missa cum populo secundum instauratum *Ordinem Missae* ubique celebratur.
6. Baptismatis, Matrimonii et Confirmationis Sacramenta vulgari sermone constanter administrantur; novissimi duo utique infra Missam.
7. Exsequiae defunctorum item eodem sermone vulgari solvuntur.

## II. EXITUS PRIMAE APPLICATIONIS

1. Aliquibus in locis liturgica innovatio non aequum effectum sortita est, cum tempus ad fideles instruendos defuisset.
2. Studium Religiosorum in innovatione liturgica admodum commendabile atque ardoris plenum esse refertur.
3. Innovatio liturgica fidelium studium bene obtinuit praesertim in paroeciis in quibus universalitas unius sermonis praestat.
4. Frequentiam in Missarum celebratione huiuscemodi innovationis introductio nullo modo auxit.

## III. DIFFICULTATES

1. Paene nulli ad innovationes liturgicas illustrandas sufficiunt libri; Ordinarium Missae, his diebus tantum, typis editum fuit.
2. Difficultas ingens ex facto oritur quod permulti sint in Birmania populi, differentes inter se lingua et moribus. Liturgici libri magna copia typis imprimi nequeunt; ex quo fit ut miti pretio venditari non possint. Paupertas quoque fidelium quominus haec fiant prohibet.
3. Conversio textuum ad birmanicam linguam plerumque nimis difficilis evadit quod hi populi ideis revocatis a sensibus carent.
4. Fideles aliquot, qui innovationes reprehendunt, pariter inveniuntur, quod novus hic ordo rerum, catholicos fideles simillimos protestantibus, ut aiunt, efficit.



5. Aliquot pariter fideles inveniuntur qui his rebus novis non studeant.

6. Aliquot quoque non desunt quibus ordo standi sedendique, saepe mutandus, displiceat.

7. Cum birmanica lingua diffusioribus adhibeat locutionibus, efficitur ut sanctum Sacrificium Missae et administratio Sacramentorum nimis proluxa efficiantur.

#### IV. PROPOSITIONES

1. Fideles ut de liturgica innovatione penitus instruantur, necesse est.

2. Amplius dandum esse tempus ut innovationibus nunc inductis fideles assuescant, antequam nova tradantur, videtur.

3. Genua flectendo vel in genua subsidendo, in Birmania reverentia conciliatur; ergo haec ratio agendi magis consentanea birmanis in divinis esse videtur.

4. Ad ultimum humanissime rogare vellem ut de novis instructionibus quae forte adsint in futurum quam citius, et aerea via, certiores nos faciatis.

✠ JOANNES JOSEPH U WIN  
*Archiepiscopus Mandalayensis*

### INDIA

(Provincia ecclesiastica Hyderabadensis)

#### I. EXITUS PRIMAE APPLICATIONIS

Die 7 martii 1965, novus Ordo Missae in usum deductus est ubique in India. Generatim hic ordo restauratus bene receptus est a sacerdotibus et fidelibus. Etiam concelebratio Missae facta est in multis locis, praesertim Feria V in Cena Domini; non autem ubique, ob deficientiam librorum. Ritus et cantus considerati sunt boni et opportuni.

## II. DIFFICULTATES

Fere ubique linguae vulgares in usum deducuntur in Ordinario Missae, et etiam in Proprio Missae, ubi habentur Missalia in lingua vulgari. Forsitan interpretationes non sunt adhuc perfectae. Salvis duabus vel tribus linguis, omnes aliae linguae non habent versionem totius Bibliae Sacrae. Hoc opus versionis iam inceptum est in pluribus linguis.

Generatim fideles amant usum linguae vulgaris in Missa; amant etiam usum linguae latinae, praesertim in urbibus, in quibus plures linguae in usu sunt. In genere fideles magnam habent reverentiam pro lingua latina, etiamsi eam non directe intelligant. Attamen malunt audire lectiones Epistolae et Evangelii et Orationem communem seu fidelium in lingua vulgari.

## III. PROPOSITIONES

Sacerdotes et fideles desiderant ut restauratio liturgica introducatur gradatim et non nimis festinanter.

✠ IOSEPH MARK GOPU  
*Archiepiscopus Hyderabadensis*

## HIEROSOLYMITANUS PATRIARCHATUS LATINUS

## I. INCEPTA INSTAURATIO LITURGICA

Ad normam « Motu proprio » diei 25 ianuarii 1964, Commissionem dioecesanam liturgicam instituimus ad instaurationem liturgicam praeparandam, una cum Commissione dioecesana de Musica sacra.

Post Decretum a « Consilio » obtentum, *primam dispositionem* promulgavimus, die 1 septembris 1964, vi cuius praescribebatur usus linguae vernaculae in lectione Epistolae et Evangelii in Missa, et permittebatur usus eiusdem linguae vernaculae (a populo et a celebrante) ad *Gloria, Credo, Orate fratres, Sanctus, Agnus Dei* et ad preces Communionis.

*Secunda dispositio* promulgata fuit die 2 februarii 1965, ut vigorem haberet die 7 martii sequentis. Vi Instructionis « Inter Oecumenici » diei 26 septembris 1964 et Decretorum a « Consilio » obtentorum, permisimus usum linguae arabicae:

- in omnibus partibus Missae concessis,
- in administratione Sacramentorum,
- in administratione Sacramentalium,
- in ritibus Hebdomadae sanctae.

Simulque textus liturgicos, ad « Consilium » praevis missos et ab ipso probatos, designavimus.

Easdem facultates concessimus pro usu linguarum hebraicae et graecae quae in usu sunt in aliquibus partibus Dioecesis patriarchalis. Insuper usum permisimus etiam aliquarum aliarum linguarum in aliquibus sacellis vel oratoriis praesertim religiosarum Communitatum, dummodo petito explicita fieret ad Curiam patriarchalem iustificans usum harum linguarum.

## II. EXITUS INSTAURATIONIS

Generaliter felicissimus fuit. Libentissime a populo cleroque loci instaurationis acceptata fuit, post accuratam fidelium praeparationem a parochis factam.

E contra instaurationis usus linguae vernaculae et ritus concelebrationis non parvam confusionem induxit in sanctuariis et ecclesiis ubi maior concursus *peregrinorum* habetur.

## III. DIFFICULTATES

*Prima* orta est ex mora qua libri liturgici ad nos pervenerunt, nempe in ipsa vigilia instaurationis, initio mensis martii. Difficultas illa fuit praecipue pro sacerdotibus ad innovationes Ordinis Missae rite addiscendas. Talis vero difficultas iam evanuit.

*Alia* difficultas respicit ipsam Commissionem liturgicam dioecesanam, nempe incertitudo in qua remanet circa praeparationem adaptationum certo necessariorum in Sacramentis, ex timore ne novae dispositiones a « Consilio » dandae labores suos irritos et vanos reddant. Propter quod enixe rogamus ut intentiones « Consilii » circa tales adaptationes rituum Sacramentorum, quam celerius Commissionibus dioecesanis communicentur, ut istae valeant opus suum tuto perficere.

## IV. PROPOSITIONES

In votis Commissionis nostrae dioecesanæ foret extensio usus linguae vernaculae in Missa ad orationem *Suscipe, sancte Pater* in Offertorio et ad praefationem.

✠ ALBERTUS GORI, O.F.M.  
*Patriarcha Latinus Hierosolymitanus*

## LIBANUM

## I. INCEPTA

Praeparatio ad instaurationem novi Ordinis Missae et ad Concelebrationem in Missa Chrismatis fuit in Vicariatu Apostolico optime ducta. Commissiones liturgica, musica et artistica ab Exc.mo Episcopo institutae ac directae, feliciter collaborationem ad istam praeparationem praestiterunt. Per « schemata » clara et completa, methodice « polycopiata », duplex praeparatio ad celebrandam Liturgiam instauratam, luculentissime facilitata est.

## II. EXITUS PRIMAE APPLICATIONIS

Executio innovationum liturgicarum habuerunt, ut plures parochi, capellani, clerici, sorores, fidelesque latini ritus hic in Libano Exc.mo Vicario Apostolico dixerunt, successum, magna cum consolatione, coronatum. Praesertim usus linguarum vernacularum: arabicae, gallicae, anglicae, italicae, germanicae, in diversis ecclesiis et communitatibus latini ritus, habuit felicem exitum, satisfactionem notabilem conferens incolis huius regionis, qui iam a longis temporibus testes sunt usus linguae vernaculae arabicae, in diversis ritibus orientalibus.

## III. PROPOSITIONES

Sacerdotibus non paucis et quampluribus fidelibus videtur magis optabile esse, ut a Sancta Sede humiliter petatur gratia et obtineatur ut non solum prologus praefationis et *Sanctus* dici aut cantari possint lingua vernacula, sed etiam ipsa praefatio. Haec propositio mihi videtur esse quampluribus vicibus facta.

Alia propositio est ut initio Missae semel tantum a populo cum sacerdote dicatur *Confiteor*.

Fr. JOSEPH MORÈS, O.S.B.  
*Praeses Commissionis liturgicae*

---

## TURCARUM RESPUBLICA

## I. INCEPTA

Iam abhinc multos annos, a Pp. Pio XII concessae, « Missae dialogatae » in usu apud nos erant, unde transitus ad recentes mutationes non inopinata novitas, sed ad optatum complementum accessus visus est.

Novae legislationis applicatio praeparata fuit duobus Litteris pastoralibus tempestive publicatis et instructionibus per tres menses in ecclesiis a parochis impertitis ante diem 7 martii.

## II. EXITUS INSTAURATIONIS

Hoc modo mutationes nec confusionem nec stuporem attulerunt. Fuerunt tamen qui tales mutationes suis angustis et inveteratis pietatis modis tam dissimiles, non sine aliqua murmuratione exceperunt; sed isti, paucissimi, perturbationis causa non fuerunt. Omnes, post aliquas animadversiones, novae legislationi acquieverunt et cum magno animi gaudio, vernacularum linguarum, sc. in nostris regionibus, gallicae, italicae et turcicae, usum receperunt. Et nunc omnia recte et pacifice inceperunt procedere.

## III. DIFFICULTATES

Remanent tamen aliquae difficultates quae non facile in omnibus locis solvi possunt:

1. Altaria contra murum constructa nonnisi arduo et dispendioso modo versus populum diriguntur. In omnibus nostris ecclesiis mensas ligneas provisorie et ad tempus diebus dominicis et festivis in sanctuario collocamus.

2. Item locus tabernaculi altaris maioris et locus ubi asservaretur SS. Eucharistia super altare ligneum supplementare, difficile componuntur.

✠ JOSEPH DESCUFFI  
*Archiepiscopus Smyrnensis*

## MAROCHIUM

(Archid. Tingitan.)

## I. INCEPTA AD INSTAURATIONEM PARANDAM:

1. Curatum est ut versio in lingua vernacula *Instructionis* diei 26 septembris 1964 divulgaretur ac continuo, in eis quae sacerdotes sive fideles respiciunt, fuerint singuli edocti.

2. Per ephemeridem « España », die 11 decembris 1964, notificantur quae inde a 1 ianuarii 1965 erant innovanda; die vero 18 eiusdem mensis, per circularem epistolam, statutum est Epistolam in Missa et Evangelium, incipiens a 1 ianuarii, esse proclamanda lingua populari.

3. Colloquia inter sacerdotes instituuntur: diebus 18-19 decembris 1964; diebus 7-8 ianuarii 1965 apud Tetuán, ac diebus 9-10 apud Larache.

4. Hebdomadae conciliares celebrantur: apud Tetuán, diebus 25-30 ianuarii; apud Larache, diebus 2-6 februarii; et diebus 8-13, Tingi. Iis in hebdomadibus, laicorum interventione activa revolutis, praecipuum caput liturgicae innovationis praeparationi dedicavimus.

5. Instructionem pastorem innovationis spiritum, naturam amplitudinemque proponentem edidimus. Eodem tempore, Commissio Liturgiae Dioecisana, quae statim *Instructionis* « Consilii » studium susceperat, normas practicas exaravit ac publici iuris fecit.

6. Exercitationes praeviae. Facultate Consilio Conferentiae episcopalis Africae Septentrionalis concessa utens, Missam Episcopus ipse secundum rubricas noviter redactas celebravit: Tingi, diebus 3 ac 6 martii; Tetuán, die 4; Larache, tandem, die 5 eiusdem martii.

7. Secunda februarii medietate, textum Ordinarii in lingua vernacula, ut suo tempore illum omnes habeant fideles, prelo excudere debuimus.

II. EXITUS. — Inde a 7 martii huius anni, pro unaquaque fidelium communitate — anglica, gallica, hispanica et italica —, Sacrum persolvitur iuxta textum a respectiva Conferentia episcopali approbatum.

Quo exitu seu spirituali fructu? Gaudenter profiteor realitatem spem omnem superare. Tria haec meridiana fulgent luce: augetur numerus eorum qui Missae, quotidie etiam, intersunt, augetur communicantium numerus; tandem, Missae adstantes in eadem *participare* studiose ac libenter procurant. Uno verbo dicerem: *Digitus Dei est hic*.

III. DIFFICULTATES. — Quia fideles, paucissimis exceptis, et sperabant et renovationem cupiebant, vix inde ulla difficultas.

Vera, ne dicam unica difficultas quae multum praepedit renovationis instaurationem praeparationemve fuit textuum inopia. Exempli causa, notare liceat: Ordinarii textum postrema tantum februarii decade prae manibus habere potuimus; novus autem Rubricarum textus ultimis martii diebus hic pervenit.

IV. PROPOSITIONES. — Praecipua, sua sponte supra ex notatis promanans, est haec:

1. Quandocumque innovandum sit, innovetur quidem, hac tamen lege ut libri textusve tempestive parentur; secus legis vacatio amplior sit oportet. Tali modo non pauca vitarentur incommoda. Non indulgeamus effrenato innovationis spiritui, minus vero festinationi.

2. Quoad interpretationes in linguis vernaculis: admirationem proculdubio gignit diversitas inter varias interpretationes; exempli gratia, in vertendo *hominibus bonae voluntatis* ex hymno *Gloria in excelsis Deo*, in fine Epistolae et Evangelii, et ad *Orate, fratres*. Humili meo iudicio, si argumenta dantur pro hac vel illa textus originalis lectione, valida erunt pro omnibus interpretationibus; si vero argumenta apodictica minime habentur, quare recedere permittitur in hac vel illa versione a lectione usque modo consueta in sacra Liturgia?

3. Plaudo substitutionem historiae Susannae, sabbato post dominicam III Quadragesimae in Missali assignatae; sed quaero: cur ubicunque lectio textus originalis aures hodiernae culturae, sat diversa ab illa in qua versabantur homines quibus Deus per prophetas hagiographosve loquebatur, assuefactas offendit, euphemismum, quo data opportunitate omnes utuntur, adhibere in Liturgia non liceat? Multiplicis sunt generis auscultantes aut legentes: laici, sacerdotes, piaefeminae, sorores, intensionem rectam vel malevolam habentes ... Textus liturgici omnibus patent vel patere debent.

✠ FRANCISCUS ALDEGUNDE DORREGO  
*Archiepiscopus Tingitanus*

## VOLTA SUPERIOR

## I. INCEPTA

1. Iam a multis annis Voltae Superioris Ordinarii a S. C. de Propaganda Fide permittendi usum linguae vernaculae et modorum musicorum ingenio populi magis aptorum facultates obtinuerunt.

2. *In conventu a die 21 usque ad diem 25 ianuarii anni 1964 habito*, Voltae Superioris Ordinarii:

a) litteras pastorales ad proponendam et explicandam suis fidelibus *Constitutionem* conscripserunt;

b) decreverunt creationem Commissionum liturgicarum dioecesarum necnon Commissionis nationalis quae semel saltem in anno convenire debet;

c) traductiones iam inceptas Missalis atque Librorum Sacrorum, praesertim Novi Testamenti, urserunt;

d) imposuerunt obligationem utendi lingua vernacula, in traductionibus tamen a Conferentia episcopali approbatis et in limitibus facultatum iure concessarum, pro Missae lectionibus et Sacramentorum administratione.

3. *In conventu a die 19 usque ad diem 21 maii 1964 habito*, iidem Ordinarii:

a) statuerunt ut textus liturgici in lingua vernacula iam versi ad « Consilium » pro confirmatione mitterentur;

b) diversas versiones gallicas Missalis approbaverunt;

c) convenerunt ut unusquisque Episcopus in dioecesi sua aliquas parochias eligeret ad promovenda experimenta pro usu linguae vernaculae magis extento in Liturgia Verbi;

d) proposuerunt « Consilio » ut usus linguae vernaculae tantum pro Verbi Liturgia permissus, etiam ad textus Offertorii et Praefationum extenderetur.

4. *A principio mensis augusti 1964*, omnia Episcoporum decreta, a « Consilio » quoque rata habita, de usu linguae vernaculae in versionibus approbatis, in praxi servantur.



## II. EXITUS INSTAURATIONIS

*Instructio « Inter Oecumenici »* ad exsequendam Constitutionem de Sacra Liturgia necnon alia documenta de hac materia agentia a die 7 Martii 1965 in nostris regionibus servantur.

## III. DIFFICULTATES

1. In quinque dioecesibus partis orientalis unica lingua, quae Môré dicitur, fideles loquuntur. Attamen perdifficile est Missalis versionem quae omnibus grata sit facere, et ita versio iam existens ad experimentum approbatur.

2. In occidentali regione, difficultas provenit ex multiplicitate idiomatum quae plura in una statione inveniuntur. Pro multis ex eis desunt missionarii qui vere periti dici possint. Quam ob rem versiones gradatim efficientur et semper perficiendae erunt.

3. In civitatum paroeciis, gentes omnium tribuum et linguarum vivunt ita ut lingua quae ab omnibus intelligatur, desit. Hanc ob causam pastores conantur multiplicare Missarum celebrationes in diversis eorum linguis.

4. Hae aptationes generatim gratissimae sunt omnibus christianis qui gaudent intelligentes Verbum Dei.

Attamen, quidam inter eos qui vulgo *évolués* dicuntur et praesertim qui olim in seminario degerunt, se attristant quod lingua latina et cantus gregorianus iam raro audiuntur. Dicunt quod modi gregoriani placent africanis et sensus mysterii iam evanescet.

## IV. PROPOSITIONES

### 1. *Quoad Missam:*

a) Ut Canon elata voce dicatur sicut fit in ritibus orientalibus et in Concelebratione ritus latini.

b) Ut Canon quoque lingua vernacula vertatur. Inelegans enim videtur quod thesaurus Verbi Dei aperiatur fidelibus in Liturgia Verbi cum Liturgia Eucharistica adhuc eis abscondatur.

## 2. *Quoad alia Sacramenta.*

Unicuique Commissioni liturgicae dioecesanae tribuitur cura aptandi ingenio africano Sacramentalium ritus.

Eorum indagationes a Commissione liturgica nationali examinantur et conclusiones ad ratificationem Conferentiae Episcopalis deferantur.

✠ PAULUS Card. ZOUNGRANA  
*Archiepiscopus Uagaduguensis*

## ZAMBIA

### I. EXITUS INSTAURATIONIS

Relatio haec est brevissima et ad partem septentrionalem nationis Zambiensis tantum se referens. In hac dioecesi Kasamaensi, omnibus informationibus directe a « Consilio » receptis, omnes mutationes tempore debito adhiberi potuerunt. Ordinarii vero in vicinis dioecesibus eisdem orbat, eas introducere non poterant hoc anno. Respublica Zambia enim valde ab Urbe distat, sed individuas paroecias attingere difficilius est.

In nostra parte mutationes, exceptis mutationibus in Novo Ordine Missae expositis, non erant magni momenti, cum ex Indultis, pro nonnullis annis, lingua vernacula in Proprio et in Communi Missae in usu erat una cum lingua latina. Omnibus duplicationibus nunc suppressis, celebratio Missae faciliior ac minus onerosa evadit. De cetero, cum cantus in lingua vernacula nondum approbati sint a Coetu Ordinariorum, preces quaedam ut collecta, *Pater noster* etc. etiam nunc in lingua latina proferuntur.

Recentiores mutationes iam introductae certe favore populi christiani gaudent, ut clare exstitit in Officiis Hebdomadae sanctae, in lingua vernacula celebratis.

### II. PROPOSITIONES

Nonnulli missionarii ex nostris, ut etiam Praefatio in lingua vernacula legatur aut cantetur, exoptant.

A. BLONDÉ  
*Vicarius Capitularis Kasamaensis dioeceseos*

# Documentorum explanatio

## DUBIA

*Solutio quae proponitur nullam induit vestem officialem. Solummodo habet valorem orientativum: solutiones enim ex officio publici iuris fient, si casus fert, a competenti Auctoritate in « Acta Apostolicae Sedis ».*

### AD INSTRUCTIONEM

Ad n. 36, d:

38. Utrum norma de omittendis osculis manus et rerum, quae porriguntur aut recipiuntur, vim habeat cum Episcopus celebrat tam forma sollemni quam non sollemni?

*Resp.: Affirmative.*

39. Utrum osculum anuli Episcopi communionem fidelibus distribuentis omittendum sit?

*Resp.: Affirmative.*

40. Utrum celebrans et ministri, res, veluti paramenta, accipientes, osculari debeant?

*Resp.: Negative.*

Ad n. 57:

41. Dicitur « in Missis sive in cantu sive lectis, quae *cum populo* celebrantur, competens auctoritas... linguam vernaculam admittere potest ». Et in decreto pro quadam natione dicitur « In Missis quae cum fidelium *concursu* celebrantur ».

*Cum populo* videtur innuere ad assistentiam actuosam participantium; dum *concursus* fidelium haberi potest etiam absque actuosa participatione. Estne hic ultimus casus ratio sufficiens ad adhibendam linguam vernaculam?

*Resp.: Certissime. Immo, a fortiori, cum passiva assistentia etiam ex hoc capite pendet quod fideles nihil intelligunt, neque de verbis quae*

proferuntur ad altare. De cetero expressiones *cum populo* vel *concursu populi* idem sonant.

Ad n. 78, a:

42. Quaeritur utrum religiosi itinerantes, recitatione choralis divini Officii onerati, teneantur (etiam ut hospites in domo, quae non ad Officium divinum in choro recitandum obligatur) omnes Horas Canonicas privatim recitare?

*Resp.*: Affirmative. Hi religiosi non eximuntur, ratione can. 14, § 1 et 3, ab observatione legum personalium. Lex vero divini Officii, vi Constitutionum religiosarum seu professionis sollemnis ac vi Ordinis sacri, est personalis.

Ad n. 78, c:

43. Possunt Ordinarii religiosi vi art. 97 *Constitutionis* de sacra Liturgia et art. VII Motu Proprio « Sacram Liturgiam » in casibus singularibus et iusta de causa a recitatione Divini Officii dispensare etiam singulas communitates ex toto vel ex parte, aut commutare?

*Resp.*: Negative. Art. 97 *Constitutionis* est obvius: « in casibus singularibus ». Nullo modo agitur de dispensandis communitatibus choro adstrictis. Ideo Motu Proprio « Pastorale munus » n. 24 concessit Episcopis facultatem reducendi obligationem choralem Capitulorum. Clare tandem excluditur talis interpretatio in *Instructione* diei 26 sept. 1964, n. 78, c, ubi pro regionibus Missionum peculiare conceduntur facultates, sed « salva disciplina choralis religiosa... iure statuta ».

Ad nn. 80-84:

44. Utrum Officia parva post instaurationem sacrae Liturgiae abolenda sint?

*Resp.*: *Constitutio* art. 98 et *Instructio* nn. 80 ad 84 supponunt existentiam Officiorum parvorum etiam post instaurationem sacrae Liturgiae.

#### AD ORDINEM MISSAE

Ad n. 59:

45. Cum celebrans, in precibus ad gradus altaris, non amplius se signet ad verba *Adiutorium nostrum in nomine Domini*, quaeritur, utrum Episcopus se signare debeat, eadem verba dicens, ad benedictionem in fine Missae?

*Resp.*: Negative, congrua congruis referendo. Nam in utroque casu signum crucis ad verba *Adiutorium nostrum* omittitur, ne bis successive celebrans se signet.

Ad nn. 44 et 45:

46. Utrum diacono, qui in Missa secundum n. 44 et 45 *Ritus servandi* legit aut cantat Evangelium, liceat etiam homiliam habere?

*Resp.*: Affirmative, post debitam, ab Ordinario obtentam facultatem, secundum C. I. C., can. 1342, § 1.

47. Utrum diaconus, qui in Missa lecta secundum n. 44 et 45 *Ritus servandi* legit Evangelium, possit etiam in aliis partibus Missae assistere more diaconali?

*Resp.*: Affirmative.

Ad nn. 44-46:

48. Vidi Missam lectam « versus populum » celebratam, in qua Epistola lecta est a dexteris celebrantis, Evangelium vero a sinistris. Quaeritur, utrum talis modus sit correctus, an procedere debet sensu opposito, sicut fiebat in antiquis basilicis?

*Resp.*: Si unus tantum habetur ambo, omnes lectiones ex eo proferantur. Unicus autem ambo a dexteris vel a sinistris altaris collocari potest, prout, iuxta ecclesiae et presbyterii structuram, magis opportunum videtur.

Si ecclesia duos habet ambones ita quidem exstructos ut unus maior pro Evangelio, alter minor pro Epistola sint constituti, lectiones ex iisdem ambonibus proferantur iuxta cuiusque destinationem.

Si vero duo ambones aequales sunt, aut duo sunt extruendi, Epistola legatur in ambone, qui est ad sinistram, Evangelium in ambone, qui est ad dexteram celebrantis stantis ad sedem in abside ecclesiae, retro altare.

Ad n. 46:

49. Commentaria de Missa cum concursu populi tractantia nil dicunt de Missa, quae celebratur in domibus religiosarum, in scholis pro puellis, etc., quod dolendum est, praesertim relate ad munus lectoris et commentatoris. In genere haberi non possunt pro his officiis clerici in sacris constituti. Sed nil dicitur in rubricis, quod talia munera assumi possunt a laicis? Quid faciendum?

*Resp.*: Ad munus lectoris: Assumi potest a ministrante, etiamsi non est clericus. Quando non habetur ministrans, lectiones et Epistola legantur, secundum n. 46. *Ritus servandi*, ab ipso celebrante (cf. « Notitiae » p. 139-140, n. 16).

Ad munus commentatoris: Generaliter sufficit, ut secundum *Instructionem* S. C. R. diei 3 sept. 1958 n. 96, a) « mulier cantum aut preces... quasi ducat ».

Ad nn. 46-57:

50. Utrum liceat legere Evangelium e sede praesidentiali, e qua etiam pronuntiatur homilia?

*Resp.*: Servetur *Ritus servandus* nn. 46 et 47: « ... celebrans legit vel cantat etiam lectiones et Epistolam in ambone vel ad cancellos... Stans deinde in eodem loco... cantat vel legit Evangelium. Si tamen non habetur ambo aut magis opportunum videtur, celebrans potest omnes lectiones etiam ex altari proferre versus ad populum ».

Ad n. 60:

51. Utrum acolythi non amplius incensari debeant in Missa sollemni a thuriferario?

*Resp.*: Considerentur incensati cum illa parte chori, in quo stant acolythi.

Ad n. 83:

52. Utrum in Missa sollemni ministri communicandi genuflectere debeant in ore suppedanei, an stare possint in plano ante altare?

*Resp.*: Servetur consuetudo localis.

#### AD RITUM SERVANDUM IN CONCELEBRATIONE MISSAE

Ad n. 17:

53. Utrum concelebrantes adhibere possint parvos calices in Missa concelebrata?

*Resp.*: Pro concelebratione ipsius Missae paretur, secundum *Ritus servandus in concelebratione Missae* n. 17, d) « unus calix sufficientis magnitudinis; aut si talis haberi nequeat, etiam alter, ita ut sufficere possint ad communionem omnium concelebrantium ». Si unusquisque

in ipsa concelebratione Missae suum haberet calicem, potius quam Missa concelebrata esset synchronizatio plurium Missarum.

Pro communione autem calicis eligatur unus ex modis in ipso Ritu exstantibus. Etsi usus parvorum calicum sit tantum medium ad Communionem faciendam, infusio pretiosissimi Sanguinis e magno calice in alios parvos, et ipsa forma parvorum calicum, minus apta videntur pro concelebratione. Valde proinde convenit servare ritum communionis calicis, quo concelebrantes directe ex ipso eodemque calice, etsi cum calamo aut cochleari, Communionem sumunt.

Ad nn. 76, 93 et 108:

54. Ubi debet celebrans principalis dicere: *Quod ore sumpsimus* et lavare pollices et indices dicendo *Corpus tuum, Domine*?

*Resp.*: Stans in medio altaris dicit secreto: *Quod ore sumpsimus, Domine*, etc., et postea in vase cum aqua parato digitos abluit dicens: *Corpus tuum, Domine*, et abstergit.

Ad nn. 77 et 78:

55. Utrum liceat diacono in Missa concelebrata ad modum « Missae cum diacono » (*Ritus servandus*, n. 95-98) assistere, ut functiones specificae diaconales exerceat?

*Resp.*: Affirmative, secundum nn. 77 et 78 *Ritus servandi in concelebratione Missae*.

#### AD RITUM COMMUNIONIS SUB UTRAQUE SPECIE

Ad n. 1. 2):

56. Licetne diacono recipere sacram Communionem sub utraque specie, ad mentem n. 1. 2) *Ritus servandi in distribuenda Communione sub utraque specie*, quando solus assistit in celebratione Missae?

*Resp.*: Affirmative, in Missa in cantu, ad quam *Ritus servandus* restringit Communionem sub utraque specie pro diacono: « in Missa pontificali vel sollemni ».

## VARIA

57. « Exstant in hac dioecesi plura monasteria monialium. Pro nonnullis, superiores maiores statuerunt, ut dum celebratur Missa, crates aperiantur, quo moniales sacros ritus melius participare possint. Quaeritur utrum fas sit hanc normam extendere ad omnia monasteria, sive iuris dioecesani, sive iuris Pontificii ».

*Resp.*: Res pertinet ad Sacram Congregationem de Religiosis, cui transmittenda est quaevis petitio ad indulta petenda.

Constat tamen Sacram Congregationem de Religiosis, his in casibus, de more, suggerere ut ad participationem liturgicam faciliorem reddendam, moniales ita disponantur ut omnes sacros ritus conspiciere possint, qui ad altare peraguntur, fenestellis, si quae sint, apertis, vel velariis e cratribus demptis; velis quoque e vultu sibi sublati, si a populo non videntur.

---

De « interpretationibus ».

*In « Ordinario Missae » sicut in tota liturgia, inveniuntur aliquando formulae mixtae in persona plurali et in persona singulari. Haec varietas explicatur sive ex rationibus historicis, sive ex eo quod formulae sunt textus biblici, qui nequeunt mutari. Cum tales textus momentum habeant pro tota Ecclesia, et non tantum pro una alterave regione, instauratio generalis statuet an mutandi, substituendi vel omittendi sint, vel quatenam et quonam modo mutationes sint faciendae. Pro momento textus receptus fideliter tenendus et in linguas vernaculas vertendus est. Ita, exempli gratia, textus biblici: « Ad Deum qui laetificat iuventutem meam », et « Domine, exaudi orationem meam » haud verti possunt quasi dicerent: « iuventutem nostram, orationem nostram ».*

*Idem dicendum de verbo Credo, quod nullo modo lingua vulgari reddi potest, quasi legeretur Credimus: esset mutatio conceptualis de qua iudicare et statuere debet « Consilium ».*

*Haec suo tempore communicata sunt officiis, quorum directe intererat. Cum admiratione proinde legitur in HODIE, Boletín del Secretariado Nacional de Liturgia (Hispania), a. IV, 1965, num. 17, p. 70, " Creemos: Solicitudes en este sentido ya han sido elevadas ante el « Consilium »"; et in Nota 1: " Aunque posteriormente el « Consilium » ha enmendado el singular alguna traducción de otra lengua, la castellana conserva el plural ". « Consilium » nullam aliam interpretationem emendavit, quia nulla alia lingua emendatione egebat.*



## Ite, Missa est

*Versiones populares a Coetibus Episcoporum approbatae*

**a) Lingua anglica:**

Go, the Mass is ended (Civitates Foederatae Americae Septentrionalis, Canadia, Nova Guinea, Australia).

Go now; this is the dismissal (Anglia-Cambria).

Go, you are sent forth (alibi).

You may go. The Mass is ended (Scotia).

Go in peace and the Lord be with you (Nova Zelandia).

Nulla translatio: Hibernia.

**b) Lingua gallica:**

Allez, dans la paix du Christ.

**c) Lingua germanica:**

Gehet hin in Frieden (Germania). Gehet hin, ihr seid entlassen (Helvetia).

Gehet in Frieden (Austria).

**d) Lingua hispanica:**

Podéis ir en paz (CELAM, Hispania).

La Misa se ha celebrado (Argentina, prima versio).

Hemos celebrado la Misa (Argentina, secunda versio).

Idos: la misa ha terminado (Chilia).

Podéis ir en paz, la Misa ha terminado (Mexicum).

**e) Lingua italica:**

La Messa è finita: andate in pace.

**f) Lingua lusitana:**

Ide em paz. E o Senhor vos acompanhe (Brasilia, Lusitania).

**g) Lingua neerlandica:**

Gaat nu allen heen in vrede.

\* « Azione liturgica e Comunità nell'edificio sacro » fuit argumentum dierum liturgicorum a « pro Civitate christiana » Assisii, in Italia, ordinatorum, diebus 22-24 aprilis, n.e. Adfuerunt ultra 600 architecti, artistae et liturgistae.

En themata de quibus disceptatum est: G. Fallani, *Attualità degli edifici per il culto*; C. Molari, *Il luogo dove nasce la Comunità cristiana e il valore dell'azione liturgica come formativa della comunità*; H. Schmidt, *La vita sacramentale della Chiesa cattolica nello spazio interno dell'edificio per il culto*; P. L. Nervi, *Sincerità strutturale e retto uso della tecnica per la chiarezza, semplicità e conformità all'epoca d'oggi dell'edificio per il culto*; G. De Angelis D'Ossat, *L'adeguamento degli antichi edifici sacri all'attuale rinnovamento liturgico*.

\* RAVENNAE, in splendida basilica s. Apollinaris Novi, diebus 18-21 maii « Pontificia Commissione Centrale di Arte Sacra in Italia » suam celebravit « X Settimana di Arte sacra ». Coetibus praefuit Card. Paulus Marella; labores moderatus est Exc.mus Ioannes Fallani, Praeses Commissionis, et Sodalis nostri « Consilii ». Aderant omnes Praesides Commissionum dioecesanarum Artis sacrae et plures architecti et artistae. Relationes, nexum directum cum sacra Liturgia habentes, fuerunt: L. Della Torre, *L'altare nelle nuove disposizione liturgiche*; A. Bugnini, *Battistero, ambone, cantoria, vesti liturgiche*. A. Milani, *L'arte sacra nei Seminari*.

Hebdomada coronata est solemnī concelebratione in basilica s. Vitalis.

### STELLULAE

- \* « Notitiae » eduntur unice lingua latina. In alias linguas non vertentur.
- \* Quae « Notitiae » referunt, libere et libenter verti et publicari possunt in periodicis liturgicis et pastoralibus cuiusvis nationis vel regionis.
- \* Qui via aërea « Notitiae » recipere cupiunt, rem opportune concordent cum Administratione.
- \* Fasciculus 7-8 publicabitur die 1 augusti.

# LIBRERIA EDITRICE VATICANA

---

## Ordo Missae et Ritus servandus in celebratione Missae

Editio typica

In-16°, pp. 72, L. 800 (\$ 1,40)

Recens *Instructio* de sacra Liturgia quasdam induxit variationes rituales in Missam, integra atque immutata manente eius generali structura. Revisio proinde sive *Ordinis Missae*, sive *Ritus servandi* omnino necessaria erat, ut omnia in cultu divino secundum ordinem fiant.

## Kyriale simplex

Editio typica

In-16°, pp. 48, L. 600 (\$ 1)

Modi simpliciores qui exhibentur ii sunt, qui, sive in Editione Vaticana, sive in aliis fontibus ritus romani, ambrosiani et hispanici reperiuntur.

Partes ita disponuntur, ut, praemissis antiphonis *Asperges* et *Vidi aquam*, quinque schemata simplicia Ordinarii Missae efficiant, quae tamen nullam ex se relationem habent cum gradu festivitatis dierum liturgicorum. Attamen singulae partes numeris progredientibus distinguuntur, quo facilius evadat, si placet, Ordinarium Missae, partibus ex diversis schematibus selectis, componere. Tandem unicus ponitur tonus monitionum in fine Missae *Ite, missa est*, et *Benedicamus Domino*; ultimo denique quattuor praebentur toni pro *Credo*.

Ad modum *Appendicis* duo exhibentur toni ad orationem dominicam ab universo fidelium coetu una cum celebrante decantandam.

## Cantus

qui in Missali romano desiderantur iuxta Instructionem ad executionem Constitutionis de sacra Liturgia recte ordinandam et iuxta ritum Concelebrationis.

In-16°, pp. 36, L. 600 (\$ 1)

Melodiae quinque partibus distribuuntur: I. Tonus orationis super oblata; II. Toni Canonis (usualis, ad libitum) ab *Hanc igitur* ad *Supplices* inclusive; III. Toni doxologiae Canonis (simplex, sollemnis); IV. Toni orationis dominicae, quando a pluribus decantatur (usualis, ad libitum); V. Tonus embolismi. Sequitur *Appendix*: I. Toni pro *Hanc igitur* proprii; II. Specimina quaedam tonorum pro « Oratione fidelium »; agitur de octo melodiis, quae textibus etiam lingua vernacula exaratis perbelle aptari possunt.

# **LIBRERIA EDITRICE VATICANA**

---

## **Variationes in Ordinem Hebdomadae sanctae inducendae**

Editio typica

In-16°, pp. 24, L. 250 (\$ 0,40)

Continet Missam Chrismatis feriae V in Cena Domini recognitam, idest cum novis pericopis, necnon cum textibus et melodiis simplicioribus, depromptis ex edendo Graduali simplici, *ad libitum* adhibendis, loco illarum quae adhuc in usu sunt.

Praebet rubricas ad simpliciores formas redactas pro consecratione Oleorum et quosdam textus mutatos in orationibus sollemnibus feriae VI in Passione et Morte Domini.

## **Ritus servandus in Concelebratione Missae et Ritus Communionis sub utraque specie**

Editio typica

In 16°, pp. 104, L. 900 (\$ 1,50)

In libello, affabre excuso, habentur Ritus concelebrationis et Communionis sub utraque specie a « Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia » parati, et a Sacra Rituum Congregatione promulgati. Additur Canon Missae ad usum concelebrantium, et melodiae textuum, qui cani permittuntur.

## **De oratione communi seu fidelium**

In-8°, pp. 32, L. 300 (\$ 0,50)

In fasciculo, parato a « Consilio », orationis communis natura, momentum ac structura describuntur. Indicantur criteria ad eam parandam, et praebentur specimina, super quibus Commissiones liturgicae nationales conficere possunt schemata pro sua ditione.